



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Felicior fuit Rostagnus, qui Pallium & vices apostolicæ sedis an ea auctoritate usus sit. Certè in Conciliis deinde subscripsit longo intervallo post alios Episcopos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

in eadem synodo adfuerunt Adeodatus Leuconensis Episcopus & Taurinus Diaconus Tolonensis, ambo Legati venerabilis synodi per Galliarum provincias constituta.

I. Tentavit deinde Rothlandus Arelatenfis Episcopus anno DCCCLXIV. veterem Ecclesie suae dignitatem instaurare, irrito tamen conatu, ut opinor. Quamvis enim Nicolaus primus agnoscat praedecessores suos Romanos Pontifices commisisse olim vices suas Episcopis Arelatenfis, nullam ei tribuit auctoritatem; tantum illi pollicetur protectionem sedis apostolicae, si, ut se facturum scripserat, decretis ipsius obedire curaret. Interrogaverat praeterea Nicolaum Rothlandus an sibi fas foret legatos ad apostolicam sedem mittere, ut Summum Pontificem faceret certiore de his quae intra provinciam emergerent. Istud quoque probavit Nicolaus, ea cautione adhibita, ut legatos suos moneret Rothlandus ne redditum suum praecipitent.

III. Felicior aeo Ioannis VIII. fuit Rostagnus successor Rothlandi. Hic enim anno DCCCLXXVIII. usus ipsissimis verbis quibus in causa Virgilij usus erat sanctus Gregorius, Pallium vicisque suas Rostagno concessit per Gallias, deque ea re epistolam scripsit ad Episcopos Gallicanos descriptam ex ea quam pro vicariatu Virgilij ad Episcopos regni Childeberti scripserat sanctus Gregorius. Visusne sit ea auctoritate Rostagnus quam a Ioanne Papa acceperat, difficile dictu est. Illud unum affirmare licet, eum in Conciliis & conventibus per ea tempora habitis longo intervallo subscripsisse post Archiepiscopos aliarum sedium, imo postpositum aliquoties fuisse simplicibus Episcopis.

IV. Anno deinde nongentesimo duodecimo incidit occasio quae Rostagno viam aperire videbatur ad invadendam ordinationem Episcopi Narbonensis. Moris erat inter Episcopos provinciarum Narbonensis & Arelatenfis, ut si quid emergeret in alterutra provinciarum quod congregationem sacerdotum requireret, vicinae provinciae Episcopos, praecipue vero Metropolitanum, evocarent in provinciam quae auxilio indigebat. Hinc subscriptiones Episcoporum Arelatenfium in Conciliis provinciae Narbonensis. Occiso igitur Arnulto Archiepiscopo Narbonensi, cum clerus & populus Narbonensis convenissent pro facienda successoris electione, optimum factu visum est si Rostagnus Arelatenfis rogaretur Narbonem accedere, cum Episcopis provinciae Narbonensis consulturus de novo pastore eligendo & de vindicanda caede Arnulti. Ille vero venit quidem in provin-

ciam; sed Agathae substitit cum Ancelino Episcopo Vceticensi, ibique Gerardum quendam, Ancelini consanguineum, evexit ad fastigium cathedrae Narbonensis. Haecenus ea res satis feliciter cesserat. Sed tandem Agij electio praevaleuit; adeoque Rostagni conatus irritus fuit. Manifestum porro est Saxium fuisse deceptum, qui ex falso quodam catalogo Archiepiscoporum Narbonensium collegit Ioannem decimum literas ad Rostagnum Arelatensem Agij exauctorandi causa direxisse. Nam ex narratione quae extat apud Catellum, & ex epistola eiusdem Ioannis ad Episcopos suffraganeos Ecclesiae Narbonensis, quam idem Catellus edidit, omnino constat hunc Ioannem approbasse electionem Agij.

V. Medio seculi sequentis Raimbaldus Arelatenfis Archiepiscopus vetustam Ecclesiae suae dignitatem & auctoritatem mente revolvens, opportunitate temporum usus est ut a sede apostolica obtineret vices apostolicae sedis, ac praeterea subiectionem Aquisiensis Archiepiscopi renovavit. Extat enim sacramentum Pontij Aquisiensis, in quo debita subiectionem & reverentiam & obedientiam a sanctis patribus constitutam secundum praecipua canonum sanctae sedi Arelatenfi perpetuo se exhibiturum promittit. Praefuit deinde Raimbaldus Concilio Tolosano anno MLVI. ubi dicitur esse Vicarius Papae Victoris una cum Pontio Aquisiensis. Atamen ista auctoritas diu non valuit. Etenim in dedicatione Ecclesiae Barcinonensis, quae facta est biennio post, Guifredus Narbonensis Archiepiscopus primo loco nominatur ante Raimbaldum. Vnde colligi debet extincto Victore extinctam quoque fuisse auctoritatem quam is dederat Archiepiscopo Arelatenfi.

VI. Vnicum illud privilegium habuit sequenti tempore Arelatenfis Archiepiscopus, ut nulli prorsus Legato, nisi ei tantum qui de Romani Pontificis latere destinatus esset, subiceretur. Testatur id Innocentius III. in epistola ad Arelatensem Episcopum scripta anno millesimo ducentesimo octavo: quam, quia nondum edita est, & res ita postulat, haec edere visum est.

Licet per apostolicum privilegium sit indultum ut nulli prorsus Legato, nisi ei tantum qui de Romani Pontificis latere fuerit destinatus, Arelatenfis provincia sit subiecta, quia tamen ad eliminandam haereticam pravitatem & rabiem sedandam hostilem ad partes illas Legatos necessario destinavimus, quibus te volumus prudenter assistere ac providere, auctoritate tibi praesentium precavimus ut per obsequia propter necessitatem huiusmodi praedictis Legatis impensa nullam tibi

Offic. I. epist. 41.
To 3. Concil. Gall.

Ioan. VIII.
epist. 94. 95.

Catellus lib. 5.
Memor. Occid.
pag. 775.

Pomj. lib.
pag. 111.

Apud
lib. 111.

Innocentius
lib. 111. cap. 111.